



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.  
Theologia Universa**

**Archdekin, Richard**

**Dilingae, 1687**

De Ignorantia invincibili, vincibili, Conscientia perplexa, scrupulosa, dubia,  
probabili, practicè certa &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38477**

Non licere Ecclesiasticis habere possessiones. *Wicelius.*  
Et neminem salvari nisi sit pauper. Episcopum peccantem hoc ipso amittere Episcopatum, idem *Wicelius.*  
Fidem amitti quovis peccato mortali, *Lutherus.* Illicitum omnino esse Christianis jurare, *Waldeenses.* Item, Bellum gerere, *Anabaptista.* Illicitas esse secundas nuptias, *Novatiani.* Illicitum Christianis cotam Judice pterere reparationem injuria, *Lutherus.*

Addi etiam possint dogmata quadam recentiora in Jansenio damnata quae deprehendes in errorem impugne per immodicum sentiendi rigorem. Scilicet haec, Aliqua Dei pracepta etiam justis esse impossibilia: Ad peccandum sive demerendum in hoc statu naturae lapide non requiri libertatem à necessitate: Christum pro omnibus mortuum non esse. Eadem ratione damnatae varie propositiones Bajanæ, exempli tantum causâ: Nullum esse peccatum ex natura sua veniale, sed sic mereri peccatum aeternam: Omne quod agit peccator, vel servus peccati peccatum esse: Omnia opera infidelium esse peccata: Hominem peccare damnabiliter in eo quod necessariò facit: & alia quæ singulas considerantur facile occurunt.

Damnati sunt etiam in hoc genere Libelli variæ, ut à Clemente IX. Rituale Alerense &c. qui inducere volebant antiquam, ut ajebant, penitentiam canonum severat, aliosque sentiendi, & exequendi rigores.

Hæc, aliaque plurima, quamvis in nimio sentiendi Rigore confitant, non ideo illa minus erronea, & ad animarum noxam tendentia meritò semper censuit Ecclesia, quam omni evo horum singula vehementer turbarunt. Unde porrò pater Ecclesiam non tantum à nimia Laxitate, sed etiam à nimio Rigore posse perturbari, quamvis Rigor apud viros perfectos magis gratum non men obtineat, sed qui in observando, non opinando præcipue confitit.

Ut autem clarius appareat, per viam istius immodi ci-  
ngens, quanta Fidelibus obligationum moles, quam  
que portatu difficultas accrescere possit.

Notandum sedulò est, ab initio Ecclesia Christianæ, quim leve censi possit fidelium onus in legum numero, sicut præsenti conferatur. Ultra legem naturæ in Decalogo omnibus communem, Legum à Christo & Apostoli latarum summula ferè confitebat in quinque præceptis Ecclesiæ, & susceptione quorumdam Sacramentorum. Quantum contra aliquos decertarunt Apostoli, ne vel una lege circumcisionis, semel tantum in vita, Christi fideles gravarentur? Ab illo autem tempore expende, quanta accesserit Legum & præceptorum multitudine. 1. In quindecim vatis Tomis Conciliorum. 2. In tot voluminibus Bullarum Pontificiarum. 3. In omnibus Tomis sive Oceano juris Canonici. 4. In tot vastis voluminibus juris Civilis, cuius etiam Leges plerumque in conscientia obligare agnoscimus. His addi tot Leges particulares Antistitutum in tua diœcesi, Principum in suo regno, aut territorio, Prelatorum, Capitulorum, & Superiorum Regularium, pro omnibus personis sibi subjectis. Quanta hæc quamque multiplicia conscientiae vincula ac gravamina.

Nunc porrò adverte, nullam esse harum omnium Legum ac Preceptorum de qua in actionibus & circumstantiis particularibus non possint centena obligationis dubia exoriri. Si ergo in his omnibus judicandum esset in Rigore pro obligatione tamquam turtori, que sàpè à parte rei nulla subest, inducerentur obliga-

R. P. Arfleß. Tom. II.

tiones indebitæ multo plures quam sit numerus omnium illarum legum ac præceptorum quæ supra recensui. Quam immensa forent hæc fidelium gravamina, & conscientiarum vincula pro tota communitate hominum, ex illo Rigore orta, nemo non videt. Dixi, pro tota communitate hominum, barbaris, rusticis, plebeis, &c. nam quod dentur aliqui virti perfecti, quiibus nullus gravis est Rigor, huc non pertinet.

Unde in predicis validè observandum est, hic Rigorem piæ ac studioe observantia, quæ ad voluntatem præcipue pertinet, minimè improbati: Imò nec ullius *Auctoris* aut *Scholæ* doctrinam in particulari regardui, nam omnes in vitando illo extremo rigoris excessu qui hic solus exprimitur, libenter contentire existimo.

Ex his igitur omnibus tantum intendo declarare, quantum Theologo incumbendum sit, ut in formandis, & applicandis Regulis sive principiis conscientiae & morum, uti à nimia Laxitate, ita etiam à nimio Rigore sedulò caveat. Huic nos documento insistentes, & ab utroque extremo declinantes, viam medium, tutam, ac probaram in sequentibus principiis ac Resolutionibus retinere studiosè conabimur.

### Principium primum.

*De dictamine Conscientia, & Ignorantia invincibili.*

**S**emper tenetur quilibet sequi dictam̄ sue Conscientiam, quamdiu, reexaminata, nulla in oppositum dubitandi ratio occurrit. Hoc est. Si homo sine iua culpa absolu-  
tè judicet hic & nunc se obligari sub peccato ad aliquid agendum, vel omittendum, actu peccabit, si se iti-  
dicio non conformet; & non peccabit, si conformet;  
quamvis alias à parte rei contingere actionem, aut o-  
missionem illam aliquā lege esse prohibitam.

Ratio est, quia Conscientia nostra est proxima regula voluntatis, derivata à prima regula omnium actionum humanarum, nempe à Lege divina & aeterna, ut docet *S. Thom. 1. 2. Quesit. 19. Art. 3.* Ergo qui agit secundum dictam Conscientiam, naturali regula, à Deo sibi constituta, se conformat.

Hinc fit ut omnino existimans se obligari ad jejunium die Dominicæ, teneatur à cibis veritis abstinere. Et contraria, judicans non esse abstinentiam à carnis die Veneris, non peccet si carnis vescatur, quamdiu non potest ab illo errore se expedire.

*Ignorantia invincibilis.*

**S**unt quidam hoc tempore qui negent hoc Principium valere in actibus qui procedunt ex Ignorantia invincibili juris naturalis, ut si mentiaris ignorans mendacium esse peccatum, ajunt te per hoc à delicto non excusari. Hanc doctrinam tradidit Jansenius in suo *Augustino Tom. 2. de statu Nat. lapa lib. 2. c. 2.* illam fulcepit cum paucis defendendam Sinnichius in *Sainte Exegie lib. 1. cap. 96.* Eamdem fovere conatur alius recentior, sed quasi umbram captans, ambigendo an talis ignorantia derit in rerum natura, credit tamen probabile eam dari, & à peccato non excusare.

Sed contra, ignorantiam illam dari, & à peccato formaliter excusare, probat invicta ratio, communis auctoritas, & ipsi *S. Augustinus lib. 3. de libero arbit.*

K 2 cap.

cap. 19. Non, inquit, tibi depicatur ad culpam quod in-  
vitum ignoras, sed quod negligis querere quod ignoras.  
Quin & ipsa ratio cum Augustino docet, in eo quod  
caveri non potest deesse voluntarium, sive liberum si-  
ne quo nequit peccatum admitti: caveri atem non po-  
test malitia qua sic ignoratur ut de ea nulla proflus  
animum subeat cogitatio. Frustra autem opponitur,  
hanc ignorantiam in nobis ex libero Adami peccato  
profluxisse, nisi etiam velis nobis ad peccatum impu-  
tari ea quae contra legem naturae ex cecitate, ame-  
nia, aut concupiscentia ex peccato Adami proflue-  
ntolentes incurrimus: quod nemo sane admiserit,  
qui isto his in alium errorem devolvi, qui negat li-  
berty a necessitate ad peccandum requiri, quod in  
Propos. 3. Janensi, & aliis pridem dominatum est. Nec  
unquam ostendetur, cur minus a peccato excusat  
ignorantia invincibilis juris naturae & ex ea gesta, quam  
ea quae est juris divini, aut positivi, quae pariter ex A-  
dam peccato profluxit, quam tamen adversae doctrinae  
defensores a delicti reatu omnino eximunt. Sua-  
demus tamen & nos a Deo postulari illuminationem  
cordis &c. ad eam praeveniendam.

Denique, si doctrina illa vera foret, sequeret  
aliquando dari casum, in quo quidquid agas vel  
omittas necessario statuoris peccati ieius. Ut si in-  
vincibilier judices ad liberandum innocentem te hic  
& nunc ad pejerandum obligari; si pejeres, forma-  
liter peccas, quia ignorantia haec a formalis peccato  
non excusat, ut ipsi volunt: si non pejeres, peccas con-  
tra conscientiam dictantem te nunc ad pejerandum  
teneri.

Sequeretur secundum, Aliquos Sanctos Patres qui  
ex invincibili ignorantia errores aliquos in materia ju-  
ris naturae docuerunt, vel operando fecuti fuerunt,  
damnados esse, si ante mortem errores illos debi-  
teiori retractarunt. Tertio, cum in questionibus  
juris naturae alter in multis opinetur ac doceat tota  
Schola Thomistica, alter tota Scotistica, necessa-  
rio alterutra tanta quanta est, in formalis peccato  
continuo verabitur. Neque minus illis in iuriis eris,  
si ignorantiam illam invincibilem affirmes, quasi tota  
lesque istorum Ordinum viri integerrimi ad verita-  
tem asequendam se non ritè disponant. Est tamen  
quidam recentior qui ostendit se hunc bolum tam  
crassum velut culicem facile deglutiens, quidni & ca-  
menum.

Ex dictis satis liquet, Ea que sunt ex ignorantia  
invincibili juris naturae, nec esse homini libera, nec ad  
peccatum imputari posse: ac proinde doctrinam af-  
ferentium eam a peccato non excusat, principium  
esse dirigenda conscientie non magis idoneum,  
quam sit istud: Aliqua Dei precepta hominibus ju-  
ris voluntibus & conantibus secundum praesentes  
quas habent vires, sunt impossibilia: quod omnino  
damnatur est, ac supra testatum Tom. I. Tract. II.  
cap. 2. §. 2.

#### Principium II. Ignorantia vincibilis.

**C**onscientia vincibiliter erronea non excusat absolu-  
te a peccato operationem aut omissionem, qua ex illa  
ignorantia procedit.

Ratio est, quia cum sit in hominis potestate con-  
stitutum prævio veritatis examine errorem illum vin-  
cere & deponere, operatio mala qua inde sequitur,

falsa in sua causa, est illi indirecte voluntaria, &  
ad culpam imputabilis. Potuit enim causam illam  
depellere, quam tamen amovere neglexit. Ignor-  
antia enim vincibilis est qua depelli potuit, & debuit;  
invincibilis qua pro hominis arbitrio vincit non po-  
tuit, ut cum D. Thoma tradit Wiger. 12. Quest. 7. Art.  
Malderns, aliquae Theolog.

Hinc fit, ut quis peccet attestando rem falsam,  
quam putare esse veram, si antea neglexerit veritatem  
inquirere: Item, ut delinquat omittendo Sacrum, si  
judicaverit diem non esse Pestum, si noluit in cogni-  
tione Festorum debitam curam adhibere. Et sic de  
ceteris.

Nota tamen, peccantem ex ignorantia vincibilis  
non semper committere novum peccatum formale  
distinguit a præterita omissione inquisitionis de-  
bet. Ut, si quis pridem suam culpam neglexerit inquire-  
re, an tali die soleat esse jejunium, & postea ignorans  
jejunii isto die carnes comedat, non incurrit ille tunc  
novum & formale peccatum contra præceptum je-  
junii, de quo ipsi illo tempore nihil in mentem ve-  
nit. De ignorantia vincibilis punctis Fidei, an, &  
quomodo constitutas hereticum, vide supra de fi-  
de pag. 35.

#### Conscientia perplexa, & scrupulosa.

**Q**ui ita perplexus est, ut utrumque oppositorum judi-  
cet esse peccatum, coque errore nec per se, nec per  
alium expedire se possit, eligere tenetur quod ipsi minus  
malum apparat. Quia in illo casu alia non supponit  
via, bona fide conscientiam formandi. Ut si aliquis  
de falso solus afflens moribundo; extinxit le pec-  
care sive agrum deserat sive factum omittat, debe  
eligere potius Sacrum omittere, si judicer illud præ-  
ceptum minus obligare, sicut verè minus obligat, quin  
præceptum charitatis proximi.

Quod si nec hoc ipsum determinare possit, quid  
ex duobus apparcat minus malum, quidam gen-  
peccatum non incurrit. Quia cum absolure necessa-  
rium sit rem vel facere vel omittere, si sic constitui-  
tus peccaret, ex necessitate peccaret, quod omnino  
repugnat.

Licitum est operari cum conscientia scrupulosa, in  
aliquid super peccatum, manente etiam scrupulo, dum-  
modo judicetur esse scrupulus, & tamquam talis con-  
temnatur: Ut si cui soleat inhærente apprehensione pe-  
cati, si in die jejuni moderato potu se reficiat.

Quia scrupulus consistit in vana apprehensione,  
& inde ortâ anxietate, ne ibi sit peccatum, tibi nullum  
subest. Atqui cum illa apprehensione consistit præ-  
dens judicium, quod illâ non obstante licet operari:  
ergo potest etiam manente scrupulo illum con-  
tentiri, & isti judicio se conformare. Sic enim  
procedendo nulli se peccandi periculo exposit:  
quia cum scrupulus ex levi aut inani fundamento pro-  
cedat, non tollit judicium practicum, & ritè funda-  
tum de licita operatione.

Urautem hoc judicium magis in particulari funde-  
tur, juvat tam penitentem, quam ejus Confessio-  
rium reflectere ad notas & signa conscientiae scrupulo-  
sa, 1. Quod aliorum judicis acquiescere non audeat.  
2. Quod ex levi apparentia judicium de eadem refre-  
quenter mutet. 3. Quod habeat reflexiones imperti-  
nentes circa innumeris rei circumstantias. 4. Quod  
adver-

## Principium III. In DUBIO quomodo agendum.

**Q**uis operatur cum Conscientia practica dubia, committit peccatum ejusdem species cum eo de quo dubitatur. Dicitur autem practica dubia quando pergit dubitare, non tantum de bonitate objecti, sed etiam de honestate sua actionis hic & nunc exercenda. Exempli gratia, si quis dubitans an sibi licitum sit hic & nunc in die festo studere, pergit nihilominus studio incumbere, incurrat idem peccatum quod ex Festi violatione contraheret.

Ratio est, quia talis exponit se periculo peccandi, cum non habeat determinatum judicium quod operatio sua sit licita potius quam illicita. Tenerit proinde actionem suam suspendere, donec re ulterius examinata dubium deponat, & licitam esse suam actionem ex prudenti ratione concludat.

Quibus autem Regulis homo in Dubio constitutus possit se resolvare ad dubium deponendum, & licite agendum, ex sequentibus principiis magis in particulari intelligitur.

## Principium IV. Doubtanti faveret possessio.

**I**n dubio melior est conditio possidentis. Hanc Regulam plurimi Theologi intelligunt non tantum de possessione alicuius rei, aut juris, sed etiam libertatis, id est: Quando post diligens examen dubium adhuc perseverat, licitum est homini quam velit partem amplecti modis infra explicandis. Quia per solum dubium nemo censetur de confusa possessione & usu sue libertatis deturbari. Quod si est contra, possessio praecipendi presumatur stare pro lege, aut praecerto, non censetur homo possidere suam libertatem a legi obligatione solutam.

Ratio autem dicta Regulae sive axiomatis est, quod cuivis licitum sit uti sua libertate quam a Deo accepit ad agendum & non agendum, quandiu post diligens examen non constat illum ea porestate esse privatum: sicut licet retinet alia sua bona quamdiu non probatur ea alteri esse devincta; hoc autem non satis probatur, quamdiu res intra dubium haret.

Quod autem dicitur, *In dubio ruit via eligenda, recte notat cum aliis Doc. Lovani Wigerus 1.2. q.19. art.3. n.50.* Regulam illam sine limitatione acceptam non semper esse praecepti: & aliquando tantum esse consilii docet *Navarrus, Bonacina, Sanchez, Laym.* & plures alii.

Sed quia aliquando dubium est, pro qua parte sit ipsa possessio, an pro lege, aut voto, aut libertate &c. ut hoc refolyatur statui potest haec Regula: In dubio, quid, vel quis sit in possessione, judicandum est possessionem pro eo stare pro quo est presumptio juris? si vero dubitetur pro quo sit ipsa presumptio, judicandum stare pro eo qui onus probandi rejicit in alium, ut est Reus, cui sufficit crimen, vel obligacionem negare, quam Actor debet probare. Quod si presumptions sint ex utraque parte, prevalere debent validiores. Si vero sint utrimque aequales, ita judicandum est, ac si nulla presumptio esset. Est autem ipsa *Presumptio juris*, suspicio quedam verosimilitudinis a jure approbata, ut in dubio eam tamquam assensum verum & prudentem sequamur, donec veritas aliunde innoteat.

Addo hic ulteriores rationes, quibus ostenditur prae dictum principium tam in materia Justitiae, quam omnium

side  
kin

re o.  
ogia

advertisatur sive ab ipso, sive a Confessario, quod soleat in rebus suis esse nimis inquietus, anxius, & perturbatus. 3. Quod deprehendatur antea saepius talia apprehendit sine fundamento: eti si aliquando circa calus alienae conscientie satis resolute & intrepidè procedat.

Remedia principia ut conscientia scrupulosa ad regiam normam reducatur. 1. Assuefcere ad pellendum timorem scrupuli, contrarium audacter operari: sic enim clavis clavo pelli debet. 2. Nihil judicare mortale, nisi id certò sciat. 3. Cavere otium, & vagas cogitationes quæ mentem scrupulis infestant. 4. Eligere virum probum & prudentem cuius iudicio firmiter adhaereat, nec illud apud se in examen inducat. 5. Advertere quod possit se conformare communijudicio & consilio Theologorum. Quod scilicet dum angit scrupulus nec suppetit aliunde consilium, possit se ad quam vult partem liberè resolvare, nisi certò illiconferre esse peccatum. Item, quod ex Confessionibus præteritis nihil teneatur repeteret, nisi certò sciat esse mortale, & se illud ritè confessum non esse: quod certò illi constare non potest quamdiu dubitat. Ratio horum est, quia periculum aliquod remotum peccati materialis, vel integratatis in confessione, non debet evitari cum tam gravi incommodo herendi in illa anxietate perpetua, alisque malis quibus homo multum scrupulosus involvitur: cum ab illis difficultates etiam minores aliquando excusat.

Quinimo potest actus esse virtutis vera, Deo grata, ac meritoria prædictis modis scrupulis refutare. Qui possunt scrupuli plurima impeditre bona, & plurima procurare mala tam in se, quam in proximo, nisi illis resistatur. Imo ex his potest fieri, ut major sit scrupuli materia, scrupulis non resistere.

In que tenentur plerunque illi perito Confessario aquiescere, & sua apprehensione postposita illius se iudicio conformare. Quod conforme est ipsi S. Augustino, qui Paulino suadet, ut istiusmodi *Intricationes animi* cum perto spirituali medico communicet. Et exploratum satis est, plerosque scrupulosos etiam doctissimos (quorum ipse aliquos novi) hoc unico medio potuisse curari.

Quin & ego addo, ut bonas illas & ægras animas ad illam curationem efficacem magis impellam, *Tales volendo sic evitare peccata, in plura peccata incurvare.* Quod breviter declaro. Illi ad innumera non præcepta tamquam ad vera præcepta & peccata harent. Et tamen obnoxii sunt fragilitati humanæ ad labendum, sicut sunt omnes homines. Ergo sic exponunt se frequentioribus formaliter peccandi periculis. Quia illi ex suis scrupulis centeni peccandi casus & persuasions occurunt, à quibus alii homines iudici recti, & non scrupulosi, sunt omnino immunes. Hoc solum motivum solidè consideratum deberillo, etiam ex suo genio, efficaciter adigere, ne dictum remedium respundo, dum vitant stulti vita in contraria currant.

Cetera quæ de his supra tradidi conformia sunt communiori Doctorum sententiæ apud *Navarrum* in prælud. n. 9. *Sanchez i. moral. cap. 10. Fillincum, Pefantum, Valentiam, Breserum,* & alios qui hanc materiam latius tradiderunt.

omnium aliarum Virtutum locum habere, & in hoc eamdem esse de illis rationem.

*Primo*, Ideo in materia Jusitiae potior est conditio possidentis, sic ut sequi quis possit partem minus tutam, rem sibi retinendo. *Quia* ius dubium est utrumque aequaliter inter possidentem & non possidentem, & insuper pro possidente accedit quod ius actualis possessionis sit certum, adeoque hoc potiori jure vincit ius dubium alterius non possidentis. Atqui eadem ratio aequaliter militat pro possessione libertatis in materia cuiuslibet alterius virtutis, ut in materia dubii praecetti, voti &c. Ergo eodem modo utrobique procedendum est.

*Minor probatur*: *Quia* in dubio, v.gr. praecetti, est aequaliter ius ex parte voluntatis ut non obligetur, & ex parte praecetti ut ei obedientia prefetur; & insuper supra hoc ius utrumque dubium, ex parte voluntatis accedit ius certum possessionis sua libertatis, quia per obligationem utrumque dubiam privati non potest: adeoque sua illi libertas integra, & ab obligatione immunis perseverat. Alioquin deberet pro obligatione prorius dubia, & quia nullo modo probari potest, spoliari sua certa & naturali libertate, & cogi ad subiectum totum onus, quod tunc subiectum esset, quando obligatio esset certa & manifesta; quod non videtur aequum, aut rationi consentaneum. Jus etenim certum hoc est, Volenti imponere obligationem privatae libertate incumberere onus istius obligationis probanda, quae numquam per dubium probari potest.

*Secundo*, *Quia* judicandum est eodem modo in foro interno, quo in externo, quando externum non inititur aliqui falsa presumptioni cognita, uti tradunt plasm Doctores, etiam Juris, cum Baldo, Navaro, Covar. Mart. Ledesma, Suarez, Salas &c. apud Sanchez in praecetta lib. 1. cap. 10. Atqui in foro externo, quando constat dubiam esse obligationem, nemo ad eam adstringitur, sed pro libertate & jure possessoris judicatur. *Quia* favorabilior est causa Rei, quam Actoris: & actore non probante plene, reus absolvitur. Ergo idem in foro interno judicandum est dum agitur de obligatione conscientiae.

Hanc doctrinam fuisus tradunt Doctores plurimi apud Sanchez supra num. 11. 16. & 36. qui docent, Dubium an vovent, aut juraverit, aut tunc usum rationis habuerit, ad nihil teneri: & solius Consilii esse hic sequi partem tutoirem. Et latius idem probat Suarez 3. part. diff. 40. sect. 5. & 6. ubi ait, incredibile sibi esse, quod in dubio juris, & in omni dubio facti necessarium sit amplecti par tem tutoirem: & num. 15. ait falsum esse, & sine fundamento, possessionem in sola iustitia materia suffragari.

Quaedam quae in contrarium adducuntur maximè depromti ex aliquibus locis Juris non ritè explicatis, ostendit Sanchez supra, ubi ea dissolvit n. 15. Ceterum in iure nihil frequentius occurrit quam hujusmodi Regule; In pari causa, possessor potior haberi debet. Semper in dubiis benigniora præferenda sunt. In re dubia benigniore interpretationem sequi non minus justius, quam tutius est. Cum sunt partium iura obscura, reo potius favendum est, quam actori. Hæc enim in omni materia à periculo indebiti gravaminis, & formalis peccati si pius admittendi, hominem longius amovent.

Ad hoc *Principium* Theologo valde reflectendum

est. Nam viam oppositam tenendo, imponeret ipsi hominibus centies plura præcepta, quam sint omnia præcepta que constat à Deo, aut Natura, aut Ecclesia, aut Republica illis imponi. Mirum hoc prima fronte videbitur, sed clarum esse demonstro. *Quia* circa quodlibet Præceptum aut legem, in actionibus particularibus possunt Dubia Centum & multò plura variis passim hominibus subroriri, ut assidue occurruant plurima, etiam viris doctis. Si igitur illi universi quoties dubitant, debeant obligationem certam subire, & tutius sequi, manifestum est quod debebunt centuplo plures obligations particulares & incomptas sustinere, quam sit numerus omnium praecitorum aut legum generalium certò obligantium. Porro ut ex predictis principiis particulares casus solidè deducantur, ad sequentia advertendum erit.

#### *Principium V. Dubium, an Lex sit lata.*

*Q*ui dubitat de aliqua Lege, an sit lata, vel de iuri, an sit missum, resolvere potest se tali lege, aut via non obligari.

*Quia* ut lex, vel votum obligationem inducant, debent sic proponi ut prudenter presumatur ea vest existeret; cum autem in casu id presumi non posse, dubitans manet in possessione sua libertatis. Hinc, si cras sit jejunium, & dubites an sit hora duodecima noctis, potes carnis vesci. *Quia* non constat legem jejunii pro illa hora esse latam, adeoque voluntas retinet possessionem sui arbitrii ut ista hora carnis utatur.

At si constet legem, aut votum existere, sed tunc dubitetur an illis *satisficeris*, ad satisfaciendum obligaris: *Quia* tali casu lex & votum est in possessione. Hinc fit ut indubitatus Sacerdos plenè debitans an Horas legerit, eas persolvere tencatur: Un & alii casus particulares ab illo principio dependentes, quod tunc lex sit in possessione, & melius si constitutio possidentus.

#### *Principium VI. Dubium, an casus particularis sit Lege comprehensus.*

*Q*ui certus est de Lege lata, sed dubius est an Causa occurrente lege illa comprehendatur, recte resolvit quod illum casum non obligari.

*Quia* presumptio quoad hoc punctum est pro libertate, non autem pro lege, cum post diligenter examen maneat dubium, an in lege causus ille contineatur. Exempli causa, Praeceptum est die Dominico abstinerre ab opere servile; dubium manet an pingere sit opus servile; non teneor à pingendo abstinere.

Si autem constet casum lege contineri, sed dubium sit an illi *satisfactum*, teneris satisfacere. Hinc certus de peccato, dubius de confessione, ad constitutum tenetur: quia sic lex constendi est in confessione.

#### *Principium VII. Dubium, an Lex acceptata, aut abrogata.*

*Q*uando constat de Lege, sed dubium est an facienda, aut postea abrogata, pergit illa dubitatem obligare. *Quia* pro lege, quam constat existere, stat presumptio, & possesso juris ut ei obtempereatur; ac proinde alleganti, eam ab initio non esse acceptatam.

petatam, aut aliquando suisse abrogatam, incumbit probatio istius quod allegatur, quam cum dubius exhibere non possit, manet ea lege adstrictus. Quamvis in dubio de legi's Acceptatione probable sit eam non obligare, cum plures docent leges saltem civiles sine populaceptione esse invalidas, ut tenent plerique Canonista. It. Navar. Azor. aliiq. citati à Laym. l. i. r. 4. c. 3.

*Principium VIII. De Fine Legis cessante.*

Quando constat finem adæquatum legis ex toto cœlare, cessat etiam totaliter ejus obligatio: uti cum communis docet Suar. Covar. Ariaga de leg. d. 27. Sest. 6. Ratio est, quia lex ordinatur tamquam medium ad procurandum bonum aliquod publicum, vel privatum, vel malum avertendum: ergo quando obliteratio legis ad hec nullo modo conductus cessat habere rationem talis medi.

Exempli causa: si lex lata sit ut nemo egreditur civitate ob metum hostis, definit obligare, si constet hostem procul absesse.

Hinc etiam inferunt aliqui probabile esse, apud Ariaga supra, aliosque. Cessante fine adæquato legis in eau particulari, probabile esse pro eo casu cœlare legis obligationem. Quia quando ratio adæquata legis ex toto cessat, definit etiam tota ejus obligatio, ergo dicendum est illam in uno eau definire, in quo adæquatus ejus finis evanescit. Et hinc inferunt, cœlare in eau individuo legem correctionis fraterne, quando ex alterius admonitione nulla certio speratur.

*Principium IX. Dubius de Debito, de Solutione, & aliis.*

Quod dubius est, post diligens examen, an aliquid alterius debet, nihil tenetur solvere. Quia iniqua esset solutione certa pro debito incerto, ut haberet contentus communis.

Verum, qui certus est de debito, & tantum dubius est aperforerit, a solutione non eximitur, Suar. Vasq. Dian. p. 2. Tr. 6. ref. 49. Eo enim eau pro debito stat posse. Si tamen ipse simul creditor de accepta solutione dubitarer, opinantur alii, debitorem ad nihil teneri, Tanner. 1. 2. d. 2. q. 6. d. 4. &c. Alii docent pro qualitate dubii ad partem obligari, Laym. Dian. p. 4. Tr. 3. refol. 32. &c. quod haud dubie tutius est.

Hinc si depositarius, aut commodatarius dubiter an culpâ suâ aquiserit rem quam depositum aut commodatum accepit, non tenetur ad restitutionem pro ea præstandam. Quia uterque est in possessione libertatis, neque lex ullare possit, neque culpa præsumitur, nisi causâ sit talis in qua culpa intervenire solet: quod etiam docet Scilder de conscientia pag. 442. & Bardi pag. 594.

Si mutuatarius aliquid mutuantur dederit supra formam, sive valorem rei mutuatae, & dubium sit an gratuitò donaverit, non licet mutuantur illud accipere. Quia lex, pro mutuo nihil accipiendi, nisi gratuita donatione, est in possessione; non præsumitur autem donatione: ut etiam docet Lessius, Bardi, aliquae, contra Cajetanum.

Dubitans an Censum debet, non tenetur solvere, nisi creditor ante sit in possessione exigendi: Quia alter est in possessione libertatis non solvendi, nec in tali dubio præsumitur censum deberi: ita etiam Scilder supra pag. 464. &c.

Qui dubitat de etate, doctrina, aut de alia simili conditione requisita ad Ordinem factum, aut aliquid Officium, non potest licet illum Ordinem, vel Officium postulare. Quia Lex requirens talē conditionem est in possessione, & conditio non præsumitur postulantinæ, nisi id ab eo probetur, quam dubius probare non potest. Alius est de quibusdam conditionibus que quasi naturaliter insunt, ut innocentia, que præsumi solet. Hoc pluribus ritè confirmat Scilder supra, quamvis ex principiis à nobis non-nihil diversis.

*Principium X. Dubium Possessori supervenientis.*

Nihil obest dubium supervenient bona fidei possessori. Quia, ut ex dictis colligitur, debet ei possesso facere. Hinc si emisti equum bona fide, & postea dubites an fuerit Petro australis, retinere potes, si nihil certius occurrat. Contraxisti matrimonium bona fide, exoritur dubium de valore, post diligentem veritatis inquisitionem si dubium permaneat, licet debitum conjugale reddere alteri parti bona fide petenti: licere etiam tibi petere, cum multis docet Thom. Sanchez, & Dicastillo de Just. lib. 2. Tract. 2. disq. 5. d. 8. n. 221. & Diana p. 3. Tr. 3. refol. 15. citans 8. Autores valde probatos, qui ibi apud eum videri possunt.

*Principium XI. Dubius de Legis Iustitia.*

In dubio de sola Legis Iustitia subditus ei parere tenetur. Quia legislator posset Jus præcipiendi, à quo subditus per seolum istiusmodi dubium non probat se esse exemptum. Quod verum esse, etiam contra legis Iustitiam occurrant etiam rationes probabiles, docet hic Suarez cum pluribus.

*Principium XII. De LEGVM interpretatione.*

In Legum interpretatione, odia sunt restringenda, favores ampliandi: Reg. juris 15. Hoc est, que odiosa & penaria sunt, non debent extendi ultra proprium & rigidum verborum sensum: secus, quando leges gratiam aliquam largiuntur, & dubitatur de aliquo an verbis legis comprehendatur, judicandum est potius eum comprehendendi. Præsumitur enim legislator ad favores quam ad penas esse propensior. Hinc in dubio an Censuræ verba te comprehendant, judicandum est non comprehendere.

Ad hac Principia revocari possunt variae juris utriusque Regulae, quas circa finem hujus 3. Partis simul collectas adduco.

*Reliqua Principia de LEGIS aut Precepti obligatione.*

Ex à precepto distinguitur, quod Lex definiatur, Recita agendorum ratio, à publica potestate communis denunciata, cum voluntate eam perpetuo obligandi: Preceptum vero sive mandatum tendat tantum ad personas singulas, & cum illis extingui soleat.

I. Lex ut obligat debet esse honesta, iusta, possibilis, pro communi utilitate lata, constans ac perpetua. Hæc enim legis figem, & naturam constituant.

II. Potestas Legis obligationem tollendi illius est, cuius est legem instituere: ut legislator, & illius in eadem potestate successor.

III. Tollitur etiam obligatio legis humanæ, per consuetu-